

gestas rei publicae est, in qua continetur dignitas et amplitudo civitatis. Item: Injuriae sunt, quae aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuscumque violant. Item: Non est ista diligentia, sed avaritia: ideo quod diligentia est accurata conservatio suorum; avaritia injusta appetitio alienorum. Item: non est ista fortitudo, sed temeritas; propterea quod fortitudo est contemptio laboris et periculi cum ratione utilitatis, et compensatione commodorum: temeritas est cum inconsiderata laborum perpeitione gladiatoria periculorum susceptio.

Topic. 5. 6. *Definitio est oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima: unum earum rerum, quae sunt; alterum earum, quae intelliguntur. Esse ea dico, quae cerni tangive possunt, ut fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cetera; quo ex genere quaedam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico, quae tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt: ut, si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias; quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intelligentia, quam notionem voco. Ea saepe in argumentando definitione explicanda sunt. Atque etiam definitiones aliae sunt partitionum, aliae divisionum. Partitionum, quum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur; ut, si quis jus civile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistat. Divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quae sub eo genere sunt, quod definitur, hoc modo: *Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt.**

Sunt et alia genera definitionum, sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent: tantum est dicendum, qui sit